



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum XVIII. Cum jam dudum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

Corollarium. Si collatores præbendam non conferant illi, qui prius receptus fuit in Canonicum, sed posterius recepto, aut extraneo, valet collatio, *argument. cit. c. relatum & c. dilectus 27. hoc. tit.* Sed Collatores Canonico prius recepto interim, donec præbendam acquirat, providere debent ex Ecclesiæ redditibus, prout docet *Innocent. in c. statuimus de majoritate. Abb. hic. n. 6. argument. cit. c. dilectus.*

CAPITULUM XVIII.

Cum jam dudum.

PARAPHRASIS.

Cum in discordia electus esset Joannes in Præpositum Ecclesiæ Siclunensis, quidam Canonicus opposuit se eoram Innocent. III. multa proponens contra Joannem, videlicet quod plures dignitates, & beneficia obtineret, non sine ambitionis, & avaritiæ vitio, & quod his non contentus ad dictam præposituram se ingrat, & ingesserit; item quod intrusus ante confirmationem acceptam ministrare præsumperit; imò etiam post confirmationem cassatam à iudicibus posterioribus. Eapropter mandat Papa Episcopo Tornacensi, ejusdemque Ecclesiæ Cantori, si causâ cognitâ repererint, Joannem plures dignitates, vel præbendas obtinere, vel aliud ex objectis, quod ad electionis cassationem sufficere possit, verum esse, tunc Joanni super præpositura silentium imponentes, Ecclesiam Siclunensem ab impetitione illius absolvant, quia multa per patientiam tolerantur, quæ, si deducata fuerint in iudicium, exigente justitia tolerari non debent.

SUMMARIUM.

1. Qui sine legitimo titulo se immiscet administrationi beneficii, intrusus dicitur.
2. Multa tolerat Superior, & motu proprio non emendat, de quibus tamen

si per querelam ad eum deferantur, ad instantiam partis justitiam administrare debet.

3. Et hinc non omnis taciturnitas Superioris, approbationem hujus inducit.

Notandū primò, Qui sine legitimo titulo (v.g. ante Superioris confirmationem, tamen electus sit) ministrat in beneficio, sive ejus juribus, & officijs exercendis se immiscet, vocari solet intrusus; quod vitium intrusionis ei obest ad hoc, ut postea idem beneficium legitime consequi non possit, nisi factâ intrusionis mentione, prout *Abb. notat, & docet lib. 4. matr. 2. c. 15. n. 3.*

Notandum secundò, Superior multa tolerat, atque motu proprio non emendat; sin autem quispiam querelam deserat, iudiciumque perat, tunc ad instantiam partis cogitur justitiam administrare. Hic est sensus verborum hujus Capituli finalium, per quem Pontifex occurrit tacite objectioni, quod multi ad plures dignitates, aut beneficia (quorum unum, aut pauciora, ad sustentationem vitæ sufficerent) promoveantur, & tamen promotio eorum Apostolicâ Authoritate non impediatur, aut cassetur: id enim verò ideò fit, quia tamen si Papa fortasse sciat hæc, tamen non approbat, quamvis etiam per authoritatem suam non impediatur, sed per patientiam toleret, donec causa in iudicium deducatur, ut ex officio teneatur inplorantibus justitiam ministrare.

Corollarium. Non omnis Superioris taciturnitas seu tolerantia dispensationem, aut consensum approbativum inducit, nam interdum ideò tacet, & dissimulat, quod facile impedire non possit; quare talis tolerantia permissiva tantum est, non approbativa. Ita *Gl. finalis hic, & videri possunt Hostien. Ioan. And. Abb. in sine capituli.*